

# Viua vocis oraculum

S. D. N. PAVLI PAPAE V.

Super receptione Nouitiorum ad Congregationem,  
& Ordinem Min. Conuen. Reformatorum.



*MARCELLVS* misericordie Diuinae. SS. Quirici, & Iuliae S. R. E. Presb. Card. LANTES  
nuncupatus Ord. Min. Conuentualium Protector, Corrector, & Gubernator.



Querint vniuersi praesentes nostras literas inspecturi, quod hodierna  
infrascripta die in Palatio Apostolico Montis Quirinalis Sanctiss. in  
Christo Pater, & Dominus noster D. Paulus diuina Prouidentia  
Papa Quintus viuae vocis oraculo nobis facto concessit, & indul-  
sit, vt dilecti nobis in Christo Reuerendi Patres Custodes Minoru  
Conuentualium Reformatorum in Prouincijs Neapolis, & Siciliae,  
nunc, & pro tempore existentes Christifideles, qui aetatem annorum  
sexdecim excedant, cupientes ingredi suam Religionem, & Congre-  
gationem, & admitti in Nouitios, & fratres eiusdem Congregationis,

& Ordinis, quocumq; anni tempore extra Capitula Generalia, vel Prouintialia iuxta eorum  
consuetudinem haecenus obseruatam (perita tamen, & obtenta prius licentia à Ministro Ge-  
nerali ordinis Min. Conuent. & eo absente à Procuratore Generali eiusdem ordinis, vel à Pro-  
uintialibus dictorum Min. Conuent. administrationi Conuentuum, Domorum, & locorum  
in eisdem Prouintijs Praefectis, ac seruata forma Regulæ, & Constitutionum dictæ Congrega-  
tionis) recipere, & admittere possint, & valeant. Hac tamen limitatione adiecta, vt pro Con-  
uentibus; Domibus, & locis Regni Siciliae sexdecim ad Clericatum idonei, & totidem Laici, &  
pro Conuentibus, Domibus, & locis Regni Neapolis duodecim pariter ad Clericatum idonei,  
& duodecim Laici, nec plures recipiant, ac ita numerus huiusmodi in Nouitiatibus cõseruetur,  
vt in locum eorum; qui antè editam professionem, vel discesserint, vel diem clauserint extremum,  
aut quacumq; ex causa defecerint, alij ad praefatum numerum adimplendum liberè recipi pos-  
sint, & admitti. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium praesentes per Se-  
cretarium nostrum fieri fecimus, & nostra manu subscriptis, sigilli nostri, quo in talibus uti-  
mur, iussimus impressione muniri. Datum Romæ ex ædibus nostris die 12. Mensis Octo-  
bris Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi 1609. Pontificatus vero eiusdem Sanctiss. D. N.  
Pauli V. Anno Quinto.

M. Card. Lantes Protector.

Sanctus Orlandius Secretarius.

